

## PROPOSITIO SECUNDA.

*Christus ut Deus fuit causa physica Sacramentorum ; Christus vero ut Deus & homo fuit causa moralis , & meritoria institutionis Sacramentorum .*

§ VII. Utraque pars nostræ propositionis dogmatica est. Primam sic probamus . *Job. 4. legimus . Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine ? nonne Tu , qui solus es ? & Psal. 83. gratiam , & gloriam dabit Dominus .* Ex quibus hoc exurgit argumentum : Causa physica Sacramenti illa est , quæ sola potest producere illius effectum : Sacramenti effectus est gratia sanctificans , & peccati remissio : gratiam sanctificantem , & peccati remissionem solus Deus conferre potest ; Christus igitur ut Deus est causa physica Sacramentorum .

§ VIII. Secunda prop. pars eadem pollet evidentia . Christus ut homo excellentiæ potestatem habuit : hæc excellentiæ potestas in his dotibus consistit . I. quod Sacramenta ex merito tantum Christi operentur . II. quod illius tantum nomine , potestate scilicet ab ipso accepta , conficiantur & dispensentur . III. quod Jesus Christus solo voluntatis actu , absque Sacramentis potuerit gratiam sanctificantem absolute conferre , deinde Christus meruit nobis omnes gratias , quæ ab ipso fluunt moraliter , tanquam a capite ; dicitur enim *Jo: I. De plenitudine ejus nos omnes accepimus ;* ergo meruit etiam nobis media , per quæ gratiæ illæ in nos derivantur ; meruit ergo ut Sacramenta instituerentur ; ex quibus patet , Christum fuisse veram causam moralem & meritoriam institutionis Sacramentorum .

## S C H O L I O N

Diximus , in Jesu Christo Domino nostro fuisse potestatem excellentiæ , ut illam vocant Theologi . Hic vero advertendum , triplicem potestatem non immerito Doctores distinguere . Prima est potestas auctoritatis , quæ Jesu Christo tribuenda ut vero Deo . Secunda excellentiæ , quæ in Chri-